

Intaminati florem uteri, solo
Nobis relicto, jam beatis
Eucharie domo receptis,
Monstrare JESUM: te vice multâ,
Semper benignam, semper amabi-
lem.

MARIA Virgo, parturisse
Digna Deum, memores cane-
mus.

Eternus sit honos ingenio Patri
Bis Nato panis gloria Filio:

Et Sancto sit Amori
Sacris omnibus et locis. Am.

CANON.

Ex Sancto Bernardino Senensi.
Apud S. Ligor. c. 1.

522. Tot creaturæ serviunt
gloriæ Virgini, quot serviunt
Trinitati; omnes namque creaturæ,
sive angeli, sive homines, et omnia
quæ sunt in cælo et in terrâ, quia
omnia sunt divino Imperio sub-
jecta, gloriæ Virgini sunt sub-
jecta. Tu.

Cum secundis Vesper.

DIE XX. JUN.

DIV. V. DE MAGALONIO.

Simplex.

LECTIO 1.

Lanz. *Histor. Arag. l. 2. c. 33.*
In pago Lecenena dicto, in Ara-
goniâ colitur Diva Virgo sub li-
tulo de Magalonio, eo quod prius
cultum in hac urbe acceperat in
publico Sacello. Sed ab eo diessit
sacra Ieon ob homicidium crudeli-
tèr ibi patratum, et in Lecenenam
se coacti, ubi eallesi luce de-
monstratam quidam Pastor inve-
nit die decimâ quintâ Martii anni
millesimi ducentissimi octogesima
primi, eo in loco ubi nunc templum
exsurgit, simulque ab eâ mandatam
accepit, ut suam voluntatem ibi
manendi Lecenensibus aperiret.
Paruit Marcenius, tale enim habe-

bat nomen, at nullam fidem in-
veniet: quare timore affectus, cum
ab eo loco divertere cum gregibus
cogitaret, ei iterum allocuta est
Virgo, et signum dedit, quo dex-
teram e facie dinovere non posset,
donec crederetur. Tu. p.

LECTIO 2.

Hoc prodigio excitati Lecenenses,
per se ipsos veritatem explora-
runt, atque inventæ Imagini stam-
tim sacellum extruxerunt. Magalo-
ni verò divam Effigiem alibi esse
agnoscentes, statim apud ipsos ite-
rum deducere, meliusque honorare
voluere, quod minime ipsis fuit
concessum nisi post iudicis sententiam.
At cum in Ecclesiâ Boate Virginis
de Sacratâ Monzalbarbe pernoctas-
sent, ad Lecenensem montem sacra
Ieon reversa est, quod idem even-
it, cum iterum à Magaloniis ac-
cepta, in Sanctæ MARLE de Por-
tillo Casarangustæ pervenissent.
Tu. p.

LECTIO 3.

Undè maximè contristati, se tertio
à Virgine relictos videntes, ad Ar-
chiepiscopum habuere confugium,
ut ipsius decreto, mirabilem Effi-
giem recuperarent; timebant enim
minime consensuros Lecenenses ter-
tio eam ab illis abluici. Latum
fuit ab Antislite decretum, sed cum
appositâ conditione, quòd in per-
petuum Lecenensibus esset Imago,
si quarto Magaloniis relinquere-
t. Hæc vice deducta fuit diva Virgo
in Ecclesiam Sanctæ MARLE de
Columbâ, toto orbe percelebram,
at idem contigit: ipsi sive vi-
gilantibus, sive dormientibus, dis-
sparuit ab eis, et reversa est ad
Lecenena montem, ubi et perse-
verat maximâ populorum frequen-
tiâ et devotione. Tu. Te Matrem.

Vespera de sequenti.

DIE XXI. JUN.

D. V. ALCAMENSIS À MIRACULIS.

Semiduplex.

Lectio 1. Noct. de Feriâ.

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Octav. Cajet. de effig. siculis.

Ducentes ferè passus, sub Alcamo,
in Sicilia, ad aquilonem in eju-
dam arcus pariete Alcamenses Vir-
ginis Sanctissimæ Iconem depin-
xere, ut locum illum, et manentes
ex eo laïces tutaretur. Deinde
temporis diuturnitate parva sacra
Virginis ratio haberi cœpta, et in
die crescentibus undique arboribus,
domisque, sensim fontem conle-
xere, adeò ut nullus illius usus,
nulla cognitio, sed deserta: ibi om-
nia spinis vepribusque horrida ac-
cessum humanis plantis omnino
negabant. Tu. p.

LECTIO 5.

At Deus suæ Sanctissimæ Genitri-
cis Imaginem ibi delitescere obscure
ferre non potuit: quare anno mil-
lesimo quingentesimo quadragesi-
mo quarto, undecimo kalendas
Julias, cum pauperes et honestæ
femina: ad torrentem descendissent,
ibique vestes abluerent, defluente
aquâ, ex eminenti rupe primum
parvos lapides ad se devolvi vi-
dent, et mox grandiora saxa, quo-
rum impetu ex illis duæ in aquam
dejectæ, nullo tamen accepto aut
dolore, aut damno. Ad ea perterri-
tæ femina: ibi latrones latitare ar-
bitratæ, se in fugam vertunt, et res
brevis vulgatâ ad eos extirpandos
populum universum concitavit.
Tu. p.

LECTIO 6.

Populus igitur omnis convenit, et
dum quidquid erat sylvæ demoliri
nituntur, ad jugum, undè saxa
dejecta fuerant, pervenere. Ibi dum

à latronibus sibi metuentes, undi-
què intenti circumspiciunt omnia:
en tibi præter omnem expectatio-
nem Imaginem Virginis Deiparæ
siliam amplexantis in pariete inve-
nunt. Propriis deinde Iconem in-
tulsi sudorem madentem depre-
hendunt, quo uncti varii agroti
sanati sunt. Porrò expurgatus sen-
tibus locus, ibique templum ere-
ctum Virgini sub titulo à mira-
culis, quò sæpius urbium pagorum-
que supplicationes adiere. Hujus
inventionis memoria quotannis ce-
lebratur undecimo kalendas Julias.
Tu. p.

Homil. de comm. pro Semidupl.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Castilionensis
de Nuce.

Gumpenb. 82.

Castilione ditione, patriâ, et pa-
trimonio S. Aloisi de Gonzaga, co-
litur Deipara sub titulo de Nuce
quia exhibetur in nuce Virginis
Imago cum Filiolo et radiis velut
opere sigillariæ artis absque hu-
mano opere facta. Hanc arborem
tulit patria Aloisi. Cœpit faber
lignarius nucleum findere anno mi-
lesimo quingentesimo trigesimo
nono, aliquid opus facturus. Sed
recusavit securis peccare in sanc-
tam Iconem, fugitque; tamen ligna
ultrinquè panduntur, et Deiparæ
Imaginem exhibent. Familia Bo-
nellorum thesaurum hunc tenuit
usque ad annum millesimum sex-
centesimo secundum, quo ipsam
dedit Principi Rodolpho Gonzagæ,
sed postea visa est Virgo ambire
publicum, et Patribus Capocinis
dono data sacellum in eorum tem-
plo occupat perlegans, ubi et fre-
quentem concursum piorum ciet,
et miracula patrat justo examini
subjecta et probata. Tu. Te Matr.
Vespera de sequenti.

QUINQUE SENSUUM B. M. V.

Duplex.

Oratio.

Majestatem tuam, Domine, suppliciter deprecamur, ut qui sanctissimos quatuor sensus Beate Virginis MARIE celebramus, in omnibus nos meliopsis abnegare concedas. Per Dominum.

Lect. 1. Noct. de ferid.

IN II. NOCT.

Sermo S. Bernardini Senensis. Serm. de concep. B. V. art. 2. c. 3.

LECTIO 4.

Quinque sensus in animâ hominis sunt, sicut etiam in corpore ejus: qui omnes in Beata Virgine mundo et omnibus noxiis clausi erant, et aperti, atque parati Deo. Sicuti est contra mundani aperti sunt mundo, et clausi sunt Deo. Primò enim palens erat Deo auditus, ut pronipitissimè acceptaret omne spiraculum ejus. Proinde in Propheta, in personâ illius dicebat: audiam, quid loquatur in me Dominus Deus. Secundò patebat et illius gustus ad saporandum admirabiles dulcedines ejus, quando experientia illius inebriata dicebat: Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo. Tu.

¶ Gustavit et vidit, quoniam bona est negotiatio ejus: Non extinguetur in nocte lucerna oculi ejus. ¶ Quia viderunt oculi mei salutare Dei, nihil aliud conspiciere volui præter Deum.—Non.

LECTIO 5.

Tertiò quoque patebat illi omnis oculus ejus, et capacitas intellectus, quando jam per experientiam in affectum, et intellectum Deo plena ad alios invitabat dicens: gustate et videte quoniam suavis est Dominus. Quartò patebat animæ Vir-

ginis odoratus, quando Dominum suppliciter exorabat, dicens: Trahe me: post te curremus in odorem unguentorum tuorum. Quintò quoque patebat tactus ut stricè, ac dulciter complecteretur Dominum illam sapius visitantem. Quod quia continuo faciebat, cum Propheta dicebat: Mihi autem adherere Deo bonum est, et ponere in Domino Deo spera meam. Tu.

¶ Dominus aperuit mihi aurem, et audivi omnia quæ locutus est ad cor ancillæ suæ. * Ut faciam voluntatem suam. ¶ Audiam quid loquatur in me Deus.—Ul.

LECTIO 6.

De his quinque portis loquitur Propheta dicens: Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob. Sion enim locus erat in Jerusalem eminentissimus, atque altissimus. Sic etiam Beata Virgo per virtutum eminentiam altissima, atque à vitis intissima erat. Diligit igitur Dominus portas Sion, id est, quinque sensus Beate Virginis MARIE super omnia tabernacula Jacob, id est, plusquam corpora omnia altarum Virginum. Corpora enim tabernacula nuncupantur, sicut Petrus ipse lætatur, dicens: Velox est depositio tabernaculi mei. Virgines enim meritò dicuntur esse Jacob, quia lætate sunt, et supplantaverunt somitem, qui in Beata Virgine in primâ Sanctificatione fuit ligatus atque consopitus. Tu.

¶ Trahe me in odorem unguentorum tuorum, * Quia odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris. ¶ Odor tuus, sicut odor agri pleni, cui benedixit Deus.—Quia.—Gloria.—Xitia.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. c. 11. 27.

In illo tempore: loquente Jesu ad

turbas, extollens vocem quædam mulier de turbâ dixit illi: Beatus venter, qui te portavit. Et reliq. Homilia S. Anselmi Ep. Lucensis. Med. de Sabul. B. V. in Bibl. mar. PP. l. 27. p. 440.

Mirum videtur, quando miser homo non tremat, et expavescit tantam Dominam salutare: sed illud detestabile nimium est, ipsam nominare ore, et corde vana et inutilia, imò nefanda tractare, ipsam alloqui tergo verso. Cum omni devotione et reverentiâ est Virgo beatissima salutanda, et ipsa læles querit, qui ad eam devotè et reverentè accedunt, hos diligit, hos nutrit, hos in filios suos suscipit. (Lect. 8.) O beatus, qui de tam nobili matre lætatur, et ipsam corde amplectitur, et opere imitatur! O felix qui Matrem Dei secundum suum posse nititur conformari! Tu.

¶ Sub umbrâ illius quem desideraveram sedi: * Et fructus ejus dulcis gutturi meo. ¶ Gustavit et vidit, quoniam suavis est Dominus.—Et fructus.

Bened. 8. Cujus Sensus sanctissimos.

LECTIO 8.

Hic est certè, qui omni creaturâ contemptâ soli Deo singulari amore inhaeret, et crucifixus cum Christo animarum sibi salutem. (Lectio 9.) O mirum certè, quomodo exultatione non rapitur cor talem Virginem salutantis? Matrem Dei alloquitur, Deum ex ipsâ factum hominem contemplatur. Hic vidit ima summis, et summa imis pro suâ charitate conjungi. Quomodo, quæso, non liquescit in hæc salutatione mens nostra cum Deum tantum nos dilexisse videmus, et ex virginali utero dignatus est fieri frater noster? Jam os nostrum et caro nostra est. Tu.

¶ Inveni, quem diligit anima mea, * Amplexibus tenui eum, nec dimittam. ¶ Mihi autem adhære Deo bonum est, et ponere in Domino Deo spera meam.—Amplexibus.—Gloria.—Amplex.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Trialcensis.

Gumpenb. 689. ex Wadingo.

Trialeci in Hiberniâ monasterium edificavit magnus Catholus circa annum millesimum trecentisimum quadrigesimum. Duravit ultra tempora Elizabethæ Reginae magno piorum accursu propter Imaginem Deiparæ gloriosam. Ejus cultum vehementer auverunt duo miracula: unum quod mulier ad hanc Sanctam Imaginem jurans se falsò accusari crimine, confusa et convicta fuerit, dum id quod furto abstulerat, è sinu ejus quibusvis inspectantibus in terram decidit. Alterum quod ob Reginae Elizabethæ persecutionem Sancta Imago in arida arbore occultata, arborem fecerit quàmprimùm producere folia, flores et ramos, ut melius à pluviiâ defenderetur, et sanè defensa est, quando integro anno ibi incorrupta latuit. Tu. Te Matrem.

Vesper à Cap. seq.

DIE XXIII. JUN.

B. M. V. DE SUCCURSU.

Duplex.

Oratio.

Omnipotens sempiterna Deus, qui ad succurrendum humano generi, Beatam Virginem MARIAM unigeniti Filii tui Matrem esse voluisti: da nobis, quæsumus, ut, eâ intercedente, diabolica vitare contagia, et sincerâ tibi mente servire. Per eundem.

AD MATUTIN.

HYMNUS 271. Steph. Arch. Patrac. Omnium splendor, decusetperenne

Virginum lumen, Genitrix superni,
Gloria humani generis, MARIA,
Unica nostri.

Sola tu, Virgo dominaris astris,
Sola tu terræ, maris atque cœli
Lumen, tenentis precibus benignam
Inclita reddes.

Da dies tibi sine labe puros,
Da tuis frui famulus subsidio,
Ingredi et celsæ, duce te benignâ,
Mania terre

Sit decus Summosine sine Christo,
Sancta quem Virgo genuit MARIA,
Qui Patri compar, Spiritui Sancto
Regnat in ævum. Amen.

Lect. 1. Noct. de feriâ.

IN II. NOCT.

Sermo S. Thomæ Arch. Valentini.
Conc. 1. in Assumpt. B. V.

LECTIO 2.

Considera à principio sæculi, et
discurre per omnes filios Adan. Ni-
hil stabilis, nihil immobilis, ni-
hil firmus hac sacrâ Virgine re-
peries. Turris firmata supra fir-
mam petram in montibus sanctis,
immobili fundamento. Siquidem
Deus in medio ejus, non commo-
vebitur. De hac Virgine in Can-
ticis legitur: sicut turris David,
quæ edificata est cum propugnacu-
lis: mille clypei pendent ex eâ,
omnis amatura fortium. Verè tur-
ris David, qui superbum Goliath
quinque lapidibus de torrente, id
est, quinque vulneribus, et crucis
baculo gloriantem in calvarie mon-
te posttravit. Tu. ꝑ.

LECTIO 5.

Facta est hæc turris Ecclesiæ pro-
pugnaculum, et peccatorum unicum
refugium, ut ad ipsam confugiant
omnes rei, omnes mœsti, omnes
afflicti, et eâ protegent liberentur
ab hoste. O homo! in quâcumque
tribulatione ad MARIAM fuge. Si-
ve peccatis afflictus, sive persecu-

tionibus attritus, sive tentationibus
turbatus hæc turrim petito, ad
MARIAM confugio. Mille enim cly-
pei pendent ex eâ, contra omnem
æstum tribulantis, et ad omnem
faciem persequentis dæmonis, tu-
lissimum in eâ clypeum invenies,
quo te protegas. Tu. ꝑ.

LECTIO 6.

Ibi est enim omnis fortium arma-
tura. Ibi fides apostolorum, ibi
fortitudo martyrum, ibi puritas
virginum, doctorum sapientia, ana-
coritarum paupertas, devotio con-
fessorum: ibi deniquè omnium
Sanctorum virtus aglomerata re-
peritur. Nihil enim usquam San-
ctorum speciale privilegium con-
cessum est, quod non à principio
vitæ accumulatus fulgeat in MA-
RIA. Ecce Castellum fortissimum,
ecce turrim inexpugnabilem, que
nunquam Diabolo præstitit tribu-
tum, aut fidem. Hanc intravit JE-
SUS, quando Verbum caro factum
est, et habitabit in nobis, idè ini-
micos expugnaturus, et regnum
sumum recuperaturus, in quod ab
initio dæmon fuerat intrusus.
Tu. ꝑ.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum
Joannem.

LECTIO 7. Joan. c. 19. 25.

In illo tempore: Stabant juxta
crucem JESU Mater ejus, et so-
ror Matris ejus, Maria Cleopæ et
Maria Magdalene. Et reliqua.

Homilia S. Bernardini Senensis.
Serm. 51. de Pass. Dom. p. 2.

a. 1. c. 3.

Misticè intelligimus in Joanne om-
nes animam electorum, quorum
per dilectionem Beata Virgo facta
est Mater. Filius enim in græco
nomen amoris est: omnis enim
Christi amor in amorem Virginis

transiit, ut meritò Filius, id est,
amor Virginis nuncupetur: ma-
gisque Virginem habeat Matrem,
quam illam, quæ filium ex pec-
cato damnatum mundo, suscepto
semine, generavit. Mutatur hæc
maternitas et filio et auctoritate
verborum Christi, in cruce
pendentis: propterea natura tran-
siit in gratiam, et gratia nobili-
tati protectò naturam, non quòd
una in alterum commutetur, sed
quia natura ex gratiâ perficitur.
Tu. ꝑ.

LECTIO 8.

Mala mulier Eva corruptione natu-
ræ, bona mulier MARIA, Mater gra-
tiæ, Mater misericordiæ. Datur
mater gratiæ pro matre naturæ:
manet tamen naturâ, manet etiâ
mater ex gratiâ. Erat enim Joanni
Mater Maria Salome in ordine suc-
cedentis naturæ: est etiâ sibi Ma-
ter beata Virgo in ordine gratiæ.
Est Mater Eva cunctorum per tra-
ductionem naturæ: est et Virgo
MARIA Mater omnium amantium
Christum per infusionem invisibilis
gratiæ. Non desinit esse Joannes Fi-
lius corruptæ matris, quia imperio
Christi filius factus est Virginis,
qui fuit ante filius corruptæ matris.
Tu. ꝑ.

LECTIO 9.

Voluit igitur Christus in cruce
pendens, antequàm moreretur per
omnia præstendere charitatem,
et quantum dignitatis humana na-
turæ contulerat, ut firma esset
remeationis ad Patrem undè si
dedit potestatem filios Dei fieri his
qui credunt in nomine ejus: quod
non per naturam, sed penitus per
gratiam fit; cur non dedisset nobis,
ut filii essemus Matris ejus, quod
fit per gratiam, quæ infinitæ po-
tentiæ est, non per naturam, quæ
est potentiæ limitate. Plus enim

est, quòd simus fratres ejus ex
patre, quàm quòd simus ex matre:
plus ex æterno Deo, quàm ex tem-
porali parente. Tu. Te Matrem.

Cum 2. Vesperis.

DIE XXV. JUN.

POTENTIA B. M. V.

Duplex.

Oratio.

Præsta, quæsumus, Omnipotens
Deus, ut qui Sanctissimæ Genitri-
cis tuæ Potentiam celebramus, con-
tra hostes animæ, ipsius adjutorio
brachii muniti, victoriam semper
reperlemus. Qui vivis.

IN I. NOCT.

Lect. 1. Noct. de Feriâ.

ꝑ. 1. Tu Maternam vim apud
Deum obtines, ꝑ. Nec enim fieri
potest, ut non exaudiaris. ꝑ. Quo-
niàm data est tibi omnis potestas.
—Nec enim.

ꝑ. 2. Quoniàm data est tibi
omnis potestas in cœlo et in terrâ,
* Ut quidquid voleris, valeas ef-
ficere. ꝑ. O potentissima Domina,
esto nobis impotentissimis auxi-
liatrix.— Ut.

ꝑ. 3. Quis loquetur potentias
Dominae nostræ? ꝑ. Quis audiam
faciet virtutem nominis ejus? ꝑ.
Meum est consilium et æquitas
mea est prudentia, mea est for-
titudine.— Quis.— Gloria.— Quis.

IN II. NOCT.

Ex verbis B. Alberti Magni. Episc.

Eccl. laud. S. B. V. l. 4. c. 6.

LECTIO 4.

Supra totam cœlestem curiam col-
lata fuit Virgini plenaria potestas,
Undè dicit in Jerusalem scilicet
super cœlesti, potestas mea, impe-
randi videlicet virtutibus angelicis,
et animabus sanctis, ad beneplaci-
tum meum; et introducendi in illud
regnum quoscumque voluero. Non
solum de regno cœlorum data est

ei singularis omnipotentia, sed et in tribus regnis, scilicet caelestium, terrestrium, et infernorum, ut in nomine ejus omne genu flectatur, caelestium, terrestrium, et infernorum. Propter hoc ipsi soli convenit post Filium dicere: data est mihi omnis potestas in caelo, et in terra. Tu.

¶ Omne quod voluerit pia Virgo facit, et sermo illius potestate plenus est. * Nec ei dicere quisquam potest: quare ita facis? ¶ Quis dicit tibi, quid fecisti? Aut quis stabit contra iudicium tuum?—Nec.

LECTIO 5.

Item in hoc manifestissime apparet Omnipotentia MARIE, quod sicut legitur in miraculis ejus, multos de sua damnatione jam certos, multos in aquis profecatos, multos ex improviso mortuos liberavit, qui dum viverent, ipsius patrocinio se commendaverant: multos, qui sine penitentia decesserant in mortali, ab ipsis diaboli faucibus potentè eripuit, et ut possent agere penitentiam, ad vitam reduxit. Ità namque ingeniosa est, et subtilis ad saluationem peccatorum, sicut diabolus ingeniosus est et subtilis ad damnationem eorum. Quò autem iustitia, vel quo jure ipsa salvet damnabiles, et sine penitentia defunctos in mortali, quibus sufficit enarrare? Constat autem, quòd ita facit, et quòd salvà iustitia facit. Tu.

¶ Ipsa est, qui mortificat, sicut in Juliano, et vivificat sicut in Theophilo. * Deducit ad inferos, et reducit. ¶ In omni necessitate omnia obediunt ei.—Deducit.

LECTIO 6.

Item de ipsa, sicut de Filio, potest dici ipsi Filio illud Psalmi: omnia subiecit sub pedibus ejus, oves,

id est, simplices, et boves universas in femenino propter fecunditatem. Insuper hoc dicit ad notandum diversitatem honorum, et malorum, pecora campi, luxuriosos vacantes per campos licentiae ubi Abel occiditur. Volucres caeli, superbos. Pisces maris, cupidos, qui perambulant semitas maris. In his tribus elementis habitant demones, sed non in igne elemento, quia non in lucido. Tu.

¶ Tu es, qui vitae et mortis potestatem habes, et deducis ad portas mortis, et reducis: * Tibi enim subest, cum volueris, posse. ¶ Consilium tuum stabit, et omnis voluntas tua fiet.—Tibi.—Gloria.—Tibi.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. c. 1. 26.

In illo tempore: Missus est angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro. Et reliqua.

Homilia B. Arnoldi Abbatis.

Apud Chrisogon. p. 923.

MARIA Domina, et licet ipsa se Christi profiteatur ancillam, hoc servitutis genus omni regno sublimius esse intelligit. Constituta quippe est super omnia creaturam, et quicumque JESU curvat genu, Matri quoque pronus supplicat acclinis. In supernis et inferis admirationis est Virgo puerpera. Stupent demones, gaudent homines: in caelo gloriam concipiunt principatus et potestates. Tu.

¶ Excita potentiam tuam et veni, ut salvos facias nos: * Potestati enim tuæ quis resistet? ¶ Audivimus enim famam potentiae tuæ, veni et salva nos.—Potestati.

Bened. Cujus Potentiam colimus.

LECTIO 8.

Nec à Dominatione vel potentia Fi-

CONVERSATION. B. V. M. POST. CIR. ASCENSIONEM.

Duplex.

Oratio.

Omnipotens Sempiternus Deus, qui ascendens super omnes caelos dilectissimam Matrem tuam Apostolis in solatium reliquisti, praesia, quaesumus, ut qui ipsam quigièr veneramur et ejus consolatione perfrnamur in terris, et sua protectione ad caelestem patriam perducamur. Qui viv.

Lect. 1. Noct. de ferid.

IN II. NOCT.

Sermo Sancti Hildephonsi Arch. Tolentani.

Serm. 5. de Ass. B. V. M.

LECTIO 4.

Si quis verò studio pietatis vel piæ curiositatis affectu indagare voluerit, quid post ascensionem Domini Beata Virgo egerit, quàm sanctè et justè vixerit, et cum quibus habitaverit, soli Deo cognitum esse videtur, et Gabrieli Archangelo, cui ejus tota causa commissa pradi-catur à Domino, et angelis sibi conlatantibus, secumque loquentibus. Joanni etiàm dilecto Domini Discipulo, qui ab ipsa cruce am suscepti in sua sollicitudine et curâ, videlicet, ut Virgo Virgini deserviret, et Domini nostri rependeret servitutis, et dilectionis obsequium, qui cum præ cæteris sub dilectione fecerat dignum. Tu. ¶.

LECTIO 5.

Beatissimo elemine Petro Apostolorum Principi cæterisque Apostolis non incognita fuit ejus purissima vita et actio: sancto quoque et admirabilis conversatio: quippe, qui cum eis semper fuit, ab ipsorum conversionis initio usque ad illum

lii Mater potest esse sejuncta. Una est MARIE et Christi caro, unus Spiritus, et una charitas, et ex eo quod dictum est ei: Dominus tecum, inseparabiliter perseveravit promissum et donum: unitas divisionem non recipit, nec seccatur in partes, etsi ex duobus factum sit unum, illud lamèn ultra scindi non potest: et Filii gloriam cum Matre non tam communem iudicio quam eandem. Tu.

¶ Tua est magnificentia, et potentia, et gloria, atque Victoria: * Tu dominaris omnium, et tu es super omnes principes. ¶ Tu eris super domum meam, et ad tui oris imperium cunctus populus obediet.—Tu.—Glor.—Tu dom.

LECTIO 9.

Nulla facta est angelica dignitati injuria, si illius excellentiæ cacumen obumbrat Virgo exaltata, sicut cedrus in Libano. Cedrus arbor est procerâ et impulfibilis, virginitas quoque MARIE, quia nulla concupiscentiæ carnalis vitatur putredine: in hoc procerior, et altior virginitate videtur angelicâ, quòd hæc virtutis, illa naturæ: hæc voluntatis, illa necessitatis, et in carne, quod non est carnis, agere, res incomparabilis meriti est, et gloriæ singularis. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex D. Bonaventurâ Ep.

Spec. B. V. L. 8.

523. Ecce MARIA... quia Dominus potentissimus potentissimè tecum est; idèò et tu es potentissima secum: potentissima es per ipsum, potentissima apud ipsum, ita ut verè dicere possis illud Ecclesiastici: In Jerusalem potestas mea. Tu.

Vesper. à capit. sequent.

diem, in quo unigenitus Dei Filius homo ex eâ verâ fide genitus à laboribus hujus vite illam voluit eripere, et ad gloriam sibi à sæculis præparatam, ut creditur, et prædicatur, super choros angelorum dignatus est elevare. Tu. ꝛ.

LECTIO 6.

Sermo S. Amadei Ep. Lausanensis.

Homil. 5. B. V.

Denique Virgo Mater omnium in se charismatum commercia deferebat. Prima namque visione scintillæ sacri amoris ignis proximorum pectora suaviter exurebat, animis fidem suggerebat, suadebat verecundiam, honestatem venustabat, inflectens ad pietatem. Spirabat florem virginitatis, serebat novale castitatis, depingens oculis habitum humilitatis, et proferens iudicium veritatis. Splendor indiciens in circuitu ejus, et ignis exardescens à facie ejus. Fluvius igneus, rapidusque egrediebatur ab eâ, qui hostes succideret, amicos confoveret, juvaret proximos, cremaret inimicos. Tu. ꝛ.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. c. 11. 27.

In illo tempore: Loquens JESU ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turbâ, dixit illi: Beatus venter, qui te portavit. Et reliqua.

Homilia S. Amadei Ep. Lausanensis.

Homil. 5. de B. V.

Igitur in carne (Virgo) præsens futuri regni primitias prælibabat. Et tunc accedens Deo ineffabili sublimitate, et nunc proximis condescendens inenarrabili charitate. Inde angelicis frequentabatur officiis, hinc humano famulatu venerabatur. Assidebat ei parantiphus Gabriel, cui Joannes gaudens sibi virgini Matrem Virginem in cruce com-

mendatam cum apostolis ministrabat. Illi Reginam, isti videre Dominam lætabantur, et utrique prodevolutionis affectu obsequabantur. Tu. ꝛ.

LECTIO 8.

At illa residens in arce sublimissimâ virtutum, et pelago divinorum affluens charismatum, abyssum gratiarum, quâ cunctos excesserat, credenti et sitiienti populo larguissimâ emanatione profundeabat. Salutem, namque corporibus, et animis medellam afferebat, potens suscitare à morte carnis et animæ. *Lect. 8.* Quis umquam ab eâ æger vel tristis, aut ignarus cœlestium mysteriorum abii? Quis non lætus, et gaudens rediit ad propria, impetrato à Matre Domini quod voluit? MARIE presentia gratam veritatem exhibebat, et quo favens se verteret, paradus erat. Tu. ꝛ.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Pragensis de Cryptâ.

Gumpenb. 349.

Statua Deiparæ quæ Pragæ in Cryptâ colitur, cum in rogum hæreticæ eam injicerent, elsi lignea vim ignis sustinuit per duodecim omnino horas nullâ vel fumi maculâ. Cum illac transisset quidam ex aula Imperatoris, Imaginem oblituit, quam secum tulit, et in domo suâ honestè collocavit, ac deinde ut melius coleretur, Patribus Cappucinis tradidit, qui in Cryptam subterraneam collocarunt, ubi quamprimum miraculis coruscare cepit. Res ad Rodolphum secundum Imperatorem cum pervenisset, secum Imaginem habere voluit, sed frustrâ: nam cum ter tentasset ad aulam deportari Imaginem, semper ipsa ad cryptam rediit, ubi et nunc firma stat, et miraculis claret. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex D. Thomâ Arch. Valentino.

Conc. 1. p. 2. in Assumpt. B. V.

524. Post Ascensionem Filii in cœlum, nihil de illâ legimus; nisi quod, ut fertur, oratorio clausa mysteria omnia quæ viderat et audierat, animo retractabat... quæ Virgo prudentissima et sapientissima in corde suo assidue conferebat, et prout optime noverat, Discipulos edocebat. Tu.

Cum 2. Vesper.

DIE XXVII. JUN.

B. V. IN MONTE ÆTNA.

Semiduplex.

Lectio. 1. Noct. de feriâ.

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Octav. Cajet. de effigieg. Siculis. In valle viridi in monte ætâ Diva Virgo apparuit enidam Dionysio, qui ibi pessimam latronis vitam agebat, eique injunxit, ut detestatâ prius criminali vitâ, Eremitæ habitum capiat, et deinde in eam vallem adducto magistrato et Clero, ubi corona gruum visa fuerit, ibi sacellum excitandum curet: ac ne aquarum penuriam metueret, promisit ei etiâ, ejus nomine invocato, ipsam fontem aquæ aperturam, dummodò parum terræ effuderet. His verò dictis, Virgo Sanctissima inter cœlestes choros sublimis abiit. Tu. ꝛ.

LECTIO 5.

Dionysius autem protinus armis depositis eremiticum habitum induit, et ad oppidum propinquum Acim petiit, rem publicè exponit, et solemnissimè supplicatio ad virentem vallem ordinatur. Tria fermè milia distabat ab Acî, ubi grues, spectantibus omnibus, apparuerunt. Illicò sacras preces flexis genibus

incipientes, cum Beatissimum MARIÆ Nomen ter invocassent, aves velut ratione præditæ suis cantibus acclamarunt, ac demùm in altum evolantes ex oculis evanuerunt. Nec minor fuit admiratio populi, cum ad tertium ligonis ictum ex arido antro fons perennis aquæ prosiluit, ex quâ variis variis affecti morbis bibentes convalescerunt. His miraculis accensis animis, inceptum templi opus, et urgente Dionysio sequenti anno perfectum est. Tu. ꝛ.

LECTIO 6.

At verò Sabbati nocte, quæ ultimam Dominicam Augusti præcedit, cum Dionysius in templo esset, virginum chorum tempellicè, inter quas unam pulcherrimam diademate coronatam cum Filio in ulnis: quæ omnes ad pilam templi accesserunt, ac repente ex oculis sublatæ. Illucescente die, in eadem pilâ Imago Virginis inventa, Græcâ videbatur picturâ: sedebat cœruleo velamine, aureis notis distincto, cooperta Sanctissima Mater, dexterâ ulnâ Filium tenens, erectâ dexterâ benedicentem, sinistrâ manu gruem caput: tres aureas coronas duo angeli imponebant. Templum autem magnificè decoratum à Frederico rege, qui cum Joanne Randazii duce illac iter faciens, à tribus Episcopis illud consecrandum curavit. Tu. ꝛ.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7. c. 3. 1.

In illo tempore: Videns JESUS turbas, ascendit in montem. Et reliqua.

Homilia S. Athanasii Episcopi.

Quest. 117. apud Chrysog. Divina Scriptura montem vocat

propriè Sanctissimam Deiparam Virginem, veluti cum inquit: mons Deo placuit ad habitandum in eo. Nam Deus æternum inhabitabit. Et alieubi habetur: Deus à Thema veniet, et Sanctus de monte opaco et denso. Tu. §.

LECTIO 8.

Mons autem ibi dicitur Sancta Virgo MARIA, quia sicut ii qui campo aberrantes, et calore aestuant, in montem subeant, velut rore conspersi in umbrâ super arbores montis, vel aquâ sedant æstum flammæ, ad eundem modum hominibus quoque facta Sancta Virgo, quæ rore quodam sui partus animas hominum æstu peccati confectas in vitam revocavit, et in umbrâ alarum sui Filii collocavit. Tu. §.

LECTIO 9.

Commem. B. V. Avilensis de Gratiis.

Gumpenb. 190.

Avilæ in conventu Sanctimonialium Carmelitarum Excalceatarum, qui de Incarnatione nomen habet, Statua Deiparæ honoratur inter celebres celebrior. Hæc angelis cineta nonnunquam visa est, et ab eis venerata. Visionis hujus testem habemus omni exceptione majorem Sanctam Tereciam, quæ hanc in vitâ sud fuscè refert. Festum hujus apparitionis non sine solemnitate celebrant Moniales pridè Sancti Sebastiani. Munera adsunt ex India, ab iis submissa, qui Avilam patriam habent. Tu. Te Matrem.

Vesperæ sequentis.

DIE XXVIII. JUN.

CASTITATIS B. M. V.

Duplex.

Oratio.

Exaudi, Domine, preces nostras,

ut qui Castitatem Sanctissimæ Genitricis tuæ recolimus, in puritate mentis et corporis, ipsâ pro nobis intercedente, tibi servire valeamus. Qui vivis.

Lect. 1. Noct. de ferid.

IN II. NOCT.

Ex verbis S. Bonaventuræ Ep. in Speculo Beate Virginis. c. 4.

LECTIO 4.

Vide, carissime, quod MARIA castissima fuit per virginitatem. Ipsa est MARIA, de qua dicitur Nomen Virginis MARIA. Eximite castitatis MARIE testem Evangelistam, testem ipsam MARIAM, testem habemus angelicam personam. Casta enim fuit in Virgineâ carne, sicut Evangelista testatur dicens: Nomen Virginis MARIA. Tu.

§. O quam pulchra est casta generatio cum claritate: * Immortalis enim est memoria illius. §. Hæc est, quæ nescivit thorum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum.—Immortalis.

LECTIO 5.

Castior fuit MARIA in Virgineâ mente, sicut ipsamet testatur. Ipsa enim est de qua dicitur: dixit autem MARIA ad Angelum: quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Id est, non cognoscere propono. Castissima fuit MARIA in virgineâ prole, sicut Angelus testatur, qui de illa MARIA dixit in Matthæo: JOSEPH, fili David, noli timere accipere MARIAM conjugem tuam: quod enim in eâ natum est de Spiritu Sancto est. Tu.

§. Non est alia mulier in universâ terrâ, * In aspectu, in pulchritudine, et in sensu verborum. §. Erat ceterum ejus virtuti castitas adjuncta, ita ut non cognosceret virum omnibus diebus vitæ suæ.—In aspectu.

LECTIO 6.

Ex quo MARIA Virgo de Spiritu

LECTIO 8.

Sancto divinâ prole est fecundata, nequaquam virginitas tali est prole vitata, sed mirabiliter est in tantâ prole glorificata. Nam in prole approbata, in prole consecrata, in prole nobilitata, in prole dilata, et dolata, concingata et confirmata est tua virginitas, ô MARIA. Tu.

§. Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco? * Ne timeas MARIA, invenisti enim gratiam apud Deum. §. Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi ombraabit tibi.—Ne timeas.—Gloria.—Ne timeas.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. c. 11. 27.

In illo tempore: loquente JESU ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turbâ dixit illi: Beatus venter, qui te portavit. Et reliqua.

Homilia S. Antonii Paduani.

Serm. in Dom. 3. Quadrag.

Beatus dicitur venter Virginis gloriosa, qui omne bonum, summum bonum, angelorum beatitudinem, peccatorum reconciliationem novem mensibus portare meruit. Ideo Filius loquens ei dicit illi: Venter tuus sicut acervus tritici. Acervus, quia in eo acervatæ fuerunt omnes prerogative meritorum et præmiorum. Tritici, quia in eo quasi in cellario industriâ veri JOSEPH repositum fuit triticum, ne tota Ægyptus fame periret.... JESUS—Christus, qui in cellario beati ventris gloriosæ Virginis, novem mensibus fuit reconditus. Tu. §.

§. 7. Christum Matrem Virginem sibi elegit, * Ut ipsa omnibus esset exemplum Castitatis. §. O quam pulchra est casta generatio cum claritate!—U.

Bened. Cujus Castitatem.

Hic beatus venter fuit vallatus liliis. Lilium dictum quasi lacteum, Beate MARIE Virginis propter suum candorem, virginitatem significat; cujus uterus fuit vallatus, id est, valle humilitatis munitus: liliis scilicet, utriusque virginitatis interioris et exterioris. (Lect. 9.) Undè Augustinus: Deus unigenitus, dum conciperetur, virginitatem carnis accepit ex Virgine; et cum naceretur integritatem virginitatis servavit in Matre. Beatus ergo venter. Tu. §.

§. 8. Hæc est, quæ nescivit thorum in delicto, * Habebit fructum in respectione animarum sanctarum §. Eo quod Castitatem amaveris, ideò eris benedicta in æternum.—Habebit.—Gloria.—Habebit.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Meerlensis.

Gumpenb. 1053.

Meerlensis pagus duobus circiter leucis distat ab urbe Bredanâ. Hic summo in cultu est Deiparæ statua in templo parrochiali jam à plurimis annis miraculis clara. Experti sunt præsertim in eâ opem divinam phreneticis, lunaticis, et semi demoniaci seu enurgementi, quorum nonnulli cum ligati catenis hoc in templo Deiparæ sisterentur, confestim ad sanctæ statuæ aspectum, ruptis vinculis, astiterunt liberi et sani. Testantur hoc catenæ è pariete suspense inter claudorum et herniosorum anathemata. Concursum semper maximum fit in festo Deiparæ assumptæ. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex S. Bonaventurâ Episcopo.

Specul. Lect. 4.

325. Casta fuit MARIA in virgineâ carne: castior fuit in Virgi-

neâ mente: castissima verò in virgineâ prole. Tu.

Cum secundis Vesper.

Die XXX. JUN.

PULCHRITUDINIS B. M. V.

Duplex majus.

IN I. VESPERIS.

Antiph. et capit. de Laudib.

Ad Magnificat. ant. O quàm pulchra es, amica mea, quàm pulchra es! Oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus laet.

AD MATUTIN.

Invitat. Tota pulchra es MARIA: * Et macula non est in te.

Lectioes de Script. ut in Dom.

III. *post pasch. p. 212.*

§. 1. Dulcis et angelico pretiosa Puella relatu: * Omnes ultrâ homines dona decoris habens. §. Ad laudem artificis nobilis artis opus. Omnes.

§. 2. Indè rubere rosas, candore hinc lilia vincens, * Flos novus è terra, quem pelus aere colat. §. Quo tua forma nitet cuncta metallâ jacent. — Flos.

§. 3. Nix premitur candore tuo, Sol crinis honore, * Pallescent radii, Virgo, decore tuo. §. Omnibus officiis lampade major ades. — Pallesc. — Glor. — Pall.

IN II. NOCT.

Ex Verbis B. Alberti Magnij Ep.

De laudib. B. V. l. 5. c. 2.

LECTIO 4.

Ad membrorum Beatæ Virginis excellentiam singularem laudes humanas addere necesse non est, cum ex vitâ illius sanctissimâ, et totias virtutis formâ resplendat: et ejus quippè in terris conversatio, et omnibus sanctis imitanda proponitur, et etiâ angelis admiranda efficitur, quæ siquidem non solum

delectabat, sed et divinos provocabat aspectus. Tu.

§. Sicut fragmen mali punicî, itâ pulchræ genæ tuæ: * Absquè eo quod intrinsecus laet. §. Quàm pulchra et quàm decora es, carissima in deliciis. — Absquè.

LECTIO 5.

Quid enim aliud membra illius erant, nisi quædam spiritalis linguæ: quas Spiritus Sanctus sui pleetro temperans modulaminis, suæ dignitatis præsentia movebat in armoniam angelicæ similitudinis? Idem ramque Spiritus, qui ejus animam sui fervore caloris accendebat, membrorum quoquè officia in eandem habitudinem suspendebat. Undè nihil aliud in suis motibus resonabat, nisi nectar divinæ humanæque sapientiæ, expressum de illâ ineffabili bonitate, quam in Trinitate Patris et Filii, et Spiritus Sancti majestatis divinæ essentia communicat vel concordia. Tu.

§. O quàm pulchra es, amica mea, quàm pulchra es! * Candidior nive, nitidior lacte, rubicundior ebore antiquo, saphiroque pulchrior. §. Est hæc Speciosior sole, et super omnem dispositionem stellarum. — Candidior.

LECTIO 6.

Ad hujus puritatis excellentiam nullam alicujus Sancti pertingere scimus sanctimoniam, nisi solius MARIE, quæ tantò Sanctæ Trinitati erat vicinior, quæ membra ejus velut in quâdam virginitate, id est, omnino in sanctitatis integritate custodiebat, ut nulli omnino subjacerent corruptioni, dum mundanæ vanitatis vel carnalis illecebæ nulla coluvio sibi aliquând ex eorum usurparet officio. Tu.

§. Opulcherrima inter mulieres! * Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turris: collum tuum sicut monila.

§. Absquè eo quod intrinsecus laet, quia omnis gloria filiæ regis ab intus. — Pulchræ. — Gloria. — Pulchræ.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. c. 11. 27.

In illo tempore: Loquente JESU ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turbâ, dixit illi: Beatus venter, qui te portavit. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

In deprecat. ad B. V.

Hortus conclusus tu es, Dei Genitrix, ad quem desorandum manus peccatoris nunquàm intravit. Tu sanctorum areola aromatum à cœlesti consita pigmentario, virtutum omnium speciosis floribus delectabiliter vernas: inter quos pulcherrimos flores tres miramur in te, ô Excellentissima! Hi sunt, quorum odore suavissimo totam domum Domini reples, ô MARIA, viola humilitatis, lilium castitatis, rosa charitatis. Meritò de Dei areolâ flos ille speciosus præ filiis paradisi electus est, superquem requievit Spiritus Domini. Tu.

§. Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra es: * Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de Galaad. — Favus distillans labia tua, Sponsa, mel et lac sub lingua tuâ. — Capilli tui.

Bened. 8. Cujus pulchritudinem.

LECTIO 8.

Et cui te assimilabimus, Mater pulchritudinis? Verè paradus Dei tu es, quia lignum vitæ mundo protulisti, de quo qui manducaverit, vivet in æternum. Fons vitæ, qui ex ore Altissimi prodiit de medio ventris tui exilivit, atque in te, in quatuor capita se dispergens ad irrigandam faciem arentis civitatem Dei. Omnis enim qui biberit ex eo, non

sitiet in æternum, et erit plusquàm paradus hic: de cuius aquâ si quis biberit, sitiet iterum. Tu.

§. Quæ est ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgens, * Pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis, ut castrorum acies ordinata? §. Revertere, revertere, ut inleamur te. — Pulch. — Gloria. — Pulch.

LECTIO 9.

O quanta mundo contulisti, quæ tam salubris aquæ ductus esse meruisti? O lampas luculentissima, quantos lætificasti, quând splendore Dei illustrata desideratum illud lumen, quo inventa est drachma decima, sedentibus in umbrâ moris protulisti? Te nimirum ille epithalamij præceptor à longè intuitus cum admirationis voce ita prorupit? Quæ est ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata? Tu. Te Matrem.

Ad Benedict. ant. Erat elegantii aspectu et in omnibus famosissima, candor lucis æternæ, et speculatum sine maculâ divinæ majestatis, et imago bonitatis illius.

Oratio.

Sanctissimæ Genitricis tuæ, Domine, nos foveat oratio, ut qui pulchritudinem ejus immaculatam veneramur in terris, ipsam quoquè contemplari mereamur in cœlis. Qui vivis.

CANON.

Ex Pio Papâ Nono.

Const. Ineffabilis. 8. Dec. 1854.

326. Ipsa snpergressa est omnem integritatem et virginitatem, ac sola tota facta domicilium universarum gratiarum Sanctissimi Spiritus, et quæ, solo Deo excepto, extitit cunctis superior, et ipsis Cherubim et Seraphim, et omni exercitu Angelorum natura pul-

clior, formosior, et sanctor, cui
prædicanda cælestes et terrena
linguæ minimè sufficiunt. Tu.

FESTA JULII.

DE PRIMA.

VIGILIA VISITAT. B. V. M.

Simplex.

Officium de feriâ.

AD MATUTIN.

V. HYMNUS 272. *Parn. Virgini.*

Veni, præcelsa Domina,
MARIA, tu nos visita,
Agras mentes illumina
Per sacre vitæ numicia.

Veni, Salvatrix sæculi,
Sordes aufer puæuli:
Tu visitando populum
Pene tolles periculum.

Veni, Regina gentium,
Dele flammæ reatum,
Rege quocumque devium,
Da vitam innocentium.

Veni, ut animum visites,
MARIA vires robores:
Virtute sacri impetis
Ne fluctuetur animus.

Veni, laudemus Filium,
Laudemus Sanctum Spiritum,
Laudemus Patrem unicum,
Qui nobis det auxilium. Amen.

Psalm. antip. et vs. ut in fer. offic.
Lectio Sancti Evangelii secundum
Lucam.

LECTIO 1. c. 1. 36.

In illo tempore: Dixit Angelus ad
MARIAM: Ecce Elizabeth cognata
tua, et ipsa concepit Filium in
senectute sua. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

Super missus. hom. 4.

Quid fuit necesse etiã hujus steri-
litas Virgini nutrire conceptum?
Nunquid forte dubiam adhuc,
et incredulam oraculo, recentiori
voluit confirmari miraculo? Absit.

Die I. Julii.

Legimus et Zachariæ incredulita-
tem ab hoc ipso angelo fuisse casti-
gatam: MARIAM autem in aliquo
reprehensam non legimus, quin
potius fidem ipsius Elizabeth prophe-
tante laudatam cognovimus.
Beata es, inquit, quæ credidisti,
quoniã perferentur in te, quæ
dicta sunt tibi à Domino. Sed ideò
sterilis; cognata Virgini nuntiatur,
ut dum miraculum miraculo addi-
tur, gaudium gaudio cumuletur.
Tu. ð.

LECTIO 2.

Porro necesse erat non modico
lætitia, et amoris præveniente in-
flamari incendio, quæ Filium pa-
ternæ dilectionis cum gaudio Spiritus
Sancti mox fuerat conceptura.
Neque enim nisi in devotissimo
corde atque hilarissimo tanta se
capere poterat dulcedinis et alacri-
tatis affluentia. Vel ideò concep-
tus Elizabeth nuntiatur MARIE,
quia protectò decebat, ut verbum
mox divulgandum ubiquè, prius
seiret Virgo per Angelum, quam
audiret ab homine: ne Mater vide-
licet Dei à consiliis Filii videretur
amota, si eorum quæ in terris tam
propè gererentur, remansisset ig-
nara. Tu. ð.

LECTIO 3.

Vel ideò potius conceptus Elizabeth
MARIE nuntiatus est, ut dum
nunc Salvatoris, nunc Præcursoris
edoceret adventum, rerum tem-
pus, et ordinem tenens ipsa, me-
lius postmodum scriptoribus, ac
prædicatoribus Evangelii reseret
veritatem, quæ et plenè de omni-
bus à principio fuerit instructa my-
steris, vel ideò adhuc nuntiatur
MARIE conceptus Elizabeth, ut
audiens cognatam vetulam et gra-
vidam, cogitet juvenula de obse-
quio, siquæ illà properante ad
visitandum parvulo propheta lo-

Die II. Julii.

IN I. VESPER.

Ant. 1. Ecce ego visitabo vos
absconditus in utero Matris meæ.

Psalmi de solemnitatib.

2. Parate viam Domini, rec-
tas facite semitas ejus.

3. Quam pulchrè graditur per
moriana Filia Principis, allel.

4. Dicite Zachariæ, nuntiate
Elizabeth: ecce cognata tua venit
ad te.

5. Occurrite ei, et suscipite
ecclæstem portam, ipsa enim portat
ostium vitæ in inviolato utero.

CAPITULUM. Luc. 1. 36.

Ecce Elizabeth cognata tua, et ipsa
concepit filium in senectute sua,
et hic mensis sextus est illi, qui
vocalur sterilis.

Hodiè visitavit Elizabeth bea-
ta Virgo MARIA ex progenie Da-
vid, per quam salus mundi cre-
dendibus apparuit, Cujus vita
gloriosa lucem dedit sæculo. ¶
Beatissimæ Virginis MARIE visi-
tationem devotissimè celebremus.
—Cujus.—Gloria.—Hodiè.

Et dicitur tantum hæc de.

HYMNUS 274. *Brev. Paris.*

Quo Sanctus ardor te rapit,
O Virgo, flos d' Virginum?
Quo tendis et cito gradu
Conscendis alta montium?

Urget te sacer Spiritus,
Toto repletam Numine:
Matris Dei jam dignitas
Nihil charitatis detrahit.

Tibi propinquam sanguinem
Matrem puella visitas,
Concessi cui divinitus
Grataris alvi munera.

O quanta matrum gaudia!
Stupente naturâ, gravem
Anum stipes, quæ Virginem
Fœlam Deo te prædicat.

Abscondita sub intimo
Cœu nube portabas sinu
Solem suo qui profinûs

cus et occasio detur, quo minori
adhuc Domino sui officii valeat ex-
hibere primitias: et dum ad se
invicem occurrit matrum, infan-
tumque ab alterutro excitata devo-
tio, mirabilis fiat miraculum de
miraculo. Tu. ð.

AD LAUDES.

V. HYMNUS 273. *Parn. Virgini.*

Veni, stella, lux gentium,
Infunde pacis radium:

Exullet cor in gaudium
Joannis aule Dominum.

Veni, Virgo regalium,
Reduc fluctus errantium,

Ad unitatem fidei
In quâ salvantur cœlici.

Veni, depose Spiritus
Sancti dona propensius,

Ut dirigantur rectius
In hujus vitæ actibus.

Veni laudemus Filium,
Laudemus Sanctum Spiritum,

Laudemus Patrem unicum,
Qui nobis det auxilium. Amen.

Preces. Oratio.

Exaudinos, Deus salutaris noster,
ut qui Visitationis Dei Genitricis
solemnitatem devotè prævenimus,
ab unigenito Filio tuo dignè vi-
sitari mereamur. Qui tecum vivit.

CANON.

Ex Bonifacio Papâ Nono.
Const. Superi benignitas an. 1389.
B. Rom. T. III. p. II. p. 378.

327. Urbanus Papa Sextus
suavit et consulti, ut Visitationis
Beate Virginis festi Vigilia, ut Vi-
gilia Nativitatis et Assumptionis
prædictæ Virginis festivitatum etiã
in observatione juveni devotius
observaretur. Tu.

Vesperæ de sequenti.

DIE II. JUL.

SOLEMNITAS

VISITATIONIS B. M. V.

Dupl. 1. Class. cum Octav.